

cogitem aliquando hos eosdem ac reliquos fortasse huius philosophi libros, qui publice enarrantur, cum annotationibus quibusdam iterum in publicum emittere : atque tum demum cur pleraque vel immutauerim, vel addiderim, ac certis in locis ab aliorum interpretatione recesserim, denique quam in quaque re secutus sim rationem, pluribus aperiam.

Hunc porro laborem meum, cardinalis amplissime, in tuo nomine apparere volui, ratus id esse officii mei, cum propter incredibilem humanitatem tuam, qua me dum Patauii, liberalium disciplinarum gratia commorareris, amplexus es : tum vel maxime quoniam, si quid est, quod vel ratione institui, vel laudabiliter confici a quoquam possit, præcipue in studiis doctrinæ, eius tibi fructus iure optimo deberi existimo. Nam tui quidem animi excellentia & ad omnem laudem impetus excelso & illustri loco sita est : qui opes quibus circumfluis : qui cætera bona quæ vel natura, vel fortuna tibi benignissime largita est : non in persequendis voluptatibus, quas plerique peruerse admirantur : sed cum omni virtute comparanda, tum vero conformando animo philosophiæ studiis consumis ; idque agis diligenter, ut præclaram virtutis excolendæ consuetudinem, quæ viguit in patre tuo Ferdinando Gonzaga, sapientissimo et fortissimo imperatore, et in patruo cardinali etiamnum maxime elucet, constanter tuearis : usque adeo ut omnium consensu tu unus existas, ad quem omnes omnium rectæ cogitationes, honesti conatus, præclara denique opera referri debeant. Multa huius rei argumenta sunt, sed nullum grauius, nullum ad laudem tuam illustrius, Pii pontificis maximi testimonio : qui eximiis tuis virtutibus commotus, summa omnium voluntate, ad suorum te numerum adscribere, et in amplissimum sanctissimumque ordinem cooptare voluit. Quamobrem cum omnium mentes in te conuersæ sint, omniumque de aliqua laude cogitantium te spectet industria, probabilem et satis idoneam causam me habere sum arbitratus, cur hoc meæ operæ studiique monumentum qualecunque id tandem foret tuo nomini inscribendum esse decreuerim. Quod quidem vel ob eam maxime causam te non improbaturum esse confido, quod coniunctum habeat studium et industriam Marci Antonii Passeri mei, eius-

